

TIRASONEN. IVRISDICTIONIS
Vener. 14. Decembris 1663.

R. P. D. VICECOMITE.

EPISCOPO Tirasoneñ. decreta fuerat omnimoda jurisdictio in Calataiubienses, vbiq; exercenda per se ipsũ, vel suos Vicarios foraneos, virtute sententiæ coram R. P. D. meo Albergato editæ alteram confirmãtis R. P. D. mei Tajæ: verum ijdem minimè acquiescentes causam a Signatura mihi deferri curarũt, & dubio hodie disputato; An sententia Rotalis sit confirmãda? pro confirmatione Domini respõderunt.

Iurisdictio siquidem Episcopo in suos competit Diocesanos, cum autem Calataiubienses esse tales respectu Ordinarij Tirasoneñ. inter partes non controuertatur, vtique ipse jurisdictionem in eosdem, quamvis inuitos exercere valet, *cap. de xenodochijs, & cum venerabilis de Relig. dom. cap. cum Episcopus de offi. ord. lib. 6. cap. cum personæ de priuilegijs ibique notant omnes eodem lib. cap. omnes Basilicæ 16. quæst. 7. cap. conquerente de offi. ordin. Roman. cons. 180. nu. 4. vers. habet enim Episcopus; Feder. de Sen. cons. 145. num. 6. ante fin. vers. vnde si aliquis, Marescot. var. res. cap. 11. nu. 2. & 3. lib. 1. Coccin. decis. 472. num. 1. Merlin. decis. 152. nu. 1. & 2. Duran. decis. 226. n. 1. Rot. decis. 243. sub num. 1. & 2. & decis. 141. nu. 1. p. 5. rec. & decis. 328. num. 2. par. 2. diu.*

Hanc vero jurisdictionem vbique suæ Diocesis locorum exequi permittitur Episcopo, a cuius libertate pendet Sedem in quacumque illius parte constituere, *ad text. expressum in cap. cum Episcopus de offi. ordin. & glos. communiter receptam in Clementin. 1. in*

verb.

verb. aut earum parte de for. compet. In nihilo refragante quod duæ prætendantur Diæceses simul vnitæ, quia omisso quod desuper nulla iustificatio affertur, tali casu vna censetur, ac jurisdictio pro tota, & indiuidua reputatur quoad Episcopum, qui licet pluribus præsit Ecclesijs, vnus tamen Pastor dicitur, atque vnus Prælatus, *cap. & temporis 16. quæst. 1. cap. 1. vbi glos. in verb. veniendo ne Sede vacante, glos. in Clemen. 2. in verb. Ecclesias, Rot. coram Caualer. decisione 418. num. 3.*

Et ita Episcopus Tirasone residens in Calataiubienses ius dicere valet exemplo Præsidis regimen duarum Prouintiarum habentis, qui in vna residens, contentiosam potestatem in alterius Prouintiæ subditos quoque exequitur, eo quia respectu ipsius vna reputatur; licet inter se separatæ sint atque distinctæ, *glos. in cap. vt litigantes in verb. statuimus de offi. ord. in 6. cap. præsenti in verb. finitur de offi. leg. cap. nouit, vbi Inn. Ostien. n. 13. Io. Andr. n. 5. Gamb. de offic. leg. extra Prouinciam, Bart. in l. fin. C. de Metropolit. Beryt. lib. 11. Ias. in l. fin. num 9. de iurisd. omn. iud. Aretin. qui de communi testatur, cons. 136. num. 4. Rot. decis. 537. num. 8. p. 4. tom. 3. rec.*

Vna cum iuris assistentia actuale iurisdictionis exercitium quoque cōcurrit quam Episcopi, & Tirasonæ, & alibi commorantes ab imm. tempore in Calataiubienses exercere consueuerunt, prout apertè conuincitur ex testibus in litis initio receptis coram bo. mem. Achil. de Grasis summario Episcopi, siue Capituli num. 8. Et clarius demonstratur ex quam pluribus actibus per Episcopos extra Calataiubiensis territorij limites residentes exercitis ab anno 1201. & relatis in eodem summario à num. 10. vsque ad 35. Et signanter (cæteris omissis) ex causæ commissione vigore appellationis interpositæ à decreto Officialis Calataiubij, causæ auocatione ab eodem Officiali ad Episcopum, relaxatione mandati contra Iuratos, & homines de Torralba, necnon alterius mandati contra Vicarium, ac Clericos S. Petri de Franchis, præcepto in Clerum Calataiubieñ. vt Synodalibus Constitutionibus Tirasonæ edendis interesset, interdicto Ecclesiæ Cōmendæ de Villalonga, recursu habito per eundem Clerum Calataiubieñ. ad Vicarium Generalem Tirasonæ residentem pro obtinenda aliqua prouisione super modo procedendi in Sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi festiuitate ad obuiañ. discordijs, ac scandalis oriri consuetis, à quo Vicario fuit Clero demandatum, vt ordo antiquitus seruari solitus, seruaretur, detentione Decani Calataiubij in Tirasonæ carceribus, sententia eū condemnante, eiusque acceptatione, ac executione. Qui quidem actus veræ, ac contentiosæ iurisdictionis possessionem præseferunt, quamvis vnicus, & minimus sufficiens existimetur ad illius conseruationem, *Schiad. de feud. par. 10. sect. 20. nu. 157.* Add. ad *Greg. decis. 162. num. 11. Rot. in Marsicen. iurisdictionis 18. Februarij, & 17. Iunij 1647. coram bon. memo. Bicchio in Beneuentana iurisd. §. Cæteri tam, vers. Isti enim 31. Ianuarij 1656. & 24. Ianuarij eiusdem anni, §. Quo vero coram R. Cerro.*

Hinc enim omnino insubsistens visum fuit suppositum Cleri Calataiubieñ. nempè quod Ecclesiastica iurisdictio olim penes Calataiubieñ. Archidiaconum vti Ordinarium resideret, à cuius sententijs ad Cæsaraugustanum Metropolitanum, non autem ad Episcopum Tirasoñ. appellationes admittebātur, & quod deinde Archidiaconatus Dignitate æque principaliter vnita Ecclesiæ Tirasoñ. Episcopus in Calataiubienses iurisdictionem exercere minimè consueuerit, nisi residēdo intra Archidiaconatus limites.

Nam quod olim Archidiacono iuris-

risdictio competierit, nullibi constat, neque vllus actus iurisdictionalis quã vis minimus per ipsum exercitus ostẽ ditur, minusque allegata vnio iustificatur, è conuerso verò Episcopus edocet, etiam de anno 1201. Archidiaconum in Ciuitate Tirasonæ sub Episcopali iurisdictione resedisse, ex quo à veritate omninò alienum detegitur, quod de eo tempore Archidiaconus tamquam ordinarius resideret Calataiubij, & ab illius sententijs appellaretur ad Cæsaraugustanum Metropolitanum, cum Cæsaraugusta non appareat in Metropolim erecta, nisi de anno 1318. & sic longe postquam Archidiaconi residentiam habere solebant Tirasonæ, quinimò suppositum prædictũ corruere visum fuit ex Rotali sententia edita de 1436. & in iudicatum trãsacta vbi pronunciatum extat Archidiacono Calataiubij nullam iurisdictionem competere in Calataiubienses summario Capituli, nu. 6.

His præmissis clara insurgit præsumptio Archidiaconatum denominari de Calataiubio, non ex eo, quod in Ecclesia Calataiubieñ. fundationem assumpserit, sed quia introitus, ac redditus ad illum spectantes ibi percipiũtur, eoque magis cum non appareat vnquam Archidiaconatum tamquam Dignitatem à Sede Apostolica alicui fuisse collatum, quod proculdubio cõtigisset, vti de alijs Dignitatibus Sedi Apostolicæ reseruatis in quocumque mense vacent.

Neque Calataiubienses vllum fundamentum constituere possunt super immemoriali cuius virtute inducitur præsumptio cuiuslibet tituli melioris de mundo; Tumquia ea excluditur ex recensitis contrarijs actibus per Episcopos gestis, quilibet enim actus contrarius immemorabilem interrumpit, etiam si mille peracti fuerint, ad inducendam præscriptionem: imo solus rumor immemorabilem euertere valet, cum ad illius probationem præ cæteris requiratur, quod nil vnquam in contrariũ visum, aut auditum fuerit iuxta text. *in l. nemo, vbi Glos. not. in verb. Temporaria in fin. ff. de reg iur. Abb. in cap. vltim. num. 29. de consuetud. Socin. cons. 7. nu. 11. lib. primo. Bero. cons. 5. num 23. eodem lib. 1. Rota in Pampilon. iuris nominandi Vicarium 14. Decembris 1648. §. Imò coram Eminentis. Ottbobono in Beneuentana iurisdiction. 13. Ianuarij 1653. coram Zarate, Add. ad Greg. decis. 298. nu. 13. decis. 354. num. 3. decis. 324 num. 13. p. 1. & dec. 432. p. 4. rec. in Palentiñ. Decimarum 14. Iunij, §. Quo vero 1656. & in Hispaleñ. Decimarũ 26. Ianuarij 1659. coram R. Domino Cerro Decano.*

Tum etiam, quia testes nuper examinati de anno 1661. ac currenti non habent sufficientem ætatem 54. annorum ante motam litem de iure requisitam, necesse siquidem est, quod deponant de visu per 40. annos ante litis initium; & tamen illorum senior annos 69. non excedit, lis verò inchoata dignoscitur, vsque de anno 1550. *cap. 1. de præscript. in 6. Seraph. dec. 1102. & decis. 1450. in rec. decis. 76. n. 3. & decis. 254. num. 1 p. 1. rec. dec. 248. nu. 3. & 4. par. 2. in adducta Hispaleñ. Decimarũ, §. Quoniam coram R. Cerro.*

Cæteri verò examinati de anno 1552. 1605. & 1620. nullum probationis gradum constituere videntur; eo quia lite pendente non citata parte, & coram Iudice Layco recepti fuere ad executionem impediendam mandati de manutenendo ab hoc Sacro Tribunali decreti ad fauorem Episcopi *l. si quando, §. sed cum opportet, C. de Testibus, l. nemo, C. de decur. lib. 10. Alex. cons. 103. lib. 5. Oldr. cons. 157. Rot. decis. 146. num. 24. par. 2. diu. coram Buratto decis. 551. num. 5. coram Zarate in Bononieñ. fideicommissi de Victorijs 5. Maij 1655. §. Parui quoque, & in firmana, seu fideicommissi 27. Maij 1661. coram R. P. D. meo Albergato.*

Calataiubiensibus minus suffraga-

ri valet confessio per Episcopum Yepes emissa de anno 1603. longe post introductam litem asserentem contentiosæ iurisdictionis exercitium in Calataiubienses minimè Episcopo cōpetere, nisi residentiam teneat in territorio Calataiubij: Nam cum de eo tempore iam fuisset tributa manutētio Episcopo super iure exercendi iurisdictionem, vbiq; locorū suæ Diœcesis dicta confessio detegitur erronea, ac fundata in partis aduersę in subsistēti supposito, ib.: *Intendendo che la Giurisdictione litigiosa non deuemo, ne potemo essercitarla stando fuori dell' Archidiaconato.* Ideoque apta non fuit, nec confitenti, nec eius successoribus nocere, *l. non fatetur, ff. de confess. Dec. cons.* 408. *num.* 5. *Decian. cons.* 55. *num.* 29. *Menoch. cons.* 147. *Greg. decis* 522. *num.* 14.

Præterquam quod confessio Episcopi voluntaria, nulloque iure cogente emissa, nil præiudicij Ecclesiæ, ac successoribus valet inferre, *Bald. in l.* 1. *num.* 301. *de confess. Paris. cons.* 47. *nu.* 92. *lib.* 1. *Hond. cons.* 60. *num.* 72. *vol.* 1. *Mascard. de probat. concl.* 367. *num.* 24. *Caput. decis.* 198. *par.* 1. *& decis.* 768. *nu.* 5. *in fine, p.* 2. *rece.* Ratio vero ea est ne Episcopis per viam indirectam rerū Ecclesiæ permittatur alienatio, quæ directè fieri prohibetur, *Castr. cons.* 74. *num.* 1. *vers.* 3. *videtur lib.* 1. *Paris. cons.* 36. *num.* 11. *lib.* 4. *Rota decis.* 516. *num.* 2. *par.* 1. *decis.* 597. *num.* 2. *par.* 4. *diu. ac penes Garz.* 12. *par. cap.* 3. *num.* 7. *Otthobon. dec.* 6. *num.* 13. *Merlin. decis.* 147. *nu.* 7. *Coccin. dec.* 106. *num.* 8. *penes Posth. de manut. decis.* 238. *nu.* 25. *cum alijs relatis in Fauentina Parochialis* 14. *Iunij præteriti coram R.P.D. meo Ninot.*

Concordiæ, & transactiones inter ipsos, ac Calataiubij Clerū initæ nullius sunt ponderis: Nam vltra, quod (excepta illa de anno 1622.) non interuenit Capituli consensus prout de iure requirebatur, *cap. nouit, cap. quanto, & cap. ea noscitur de his quæ fiunt à Prælat. Sin. cons. Capit. & Rota in Barchinon. administrationis* 17. *Martij* 1645. *cor R. Terracinen.* Apostolica confirmatione minimè apparent munitæ, quæ in eis quoque expressè reseruata conuincitur, neque impetrata præsumi potest ex 30. annorum cursu, cum versemur circa Ecclesiæ præiudicialia: Ideoque resistat Vrbana Constitutio in ordine 149. prætterquā illarum obseruātia nō docetur, quinimo inobseruatæ præsumuntur ex earum copia, ac multiplicitate, quæ quidem obseruātia concurrere deberet cum lapsu 30. annorum, in quibus tempus vitæ transigentis non comprehenditur *Rota decis.* 27. *nu.* 18. *part.* 9. *tom.* 1. *recentiorum.*

Episcopis autem licere jurisdictionem in Calataiubienses exequi per se vel Vicarium foraneum, indubitati est iuris, neque cogi potest ad deputandum Vicarium Generalem, cuius constitutio est in mero Episcopi arbitrio, *cap. cum Episcopus de offi. ord. in* 6. *Rebuf. in prax. tit. de vnion. benef. num.* 16. *Rot. decis.* 418. *num.* 10. *&* 11. *coram Caualer. Put. decis* 45. *num.* 1. *lib.* 2. *Mohed. decis.* 4. *nu.* 1. *de offi. Vic. Rot. diu. decis.* 222. *nu.* 5. *par.* 2. *Seraph. decis.* 74. *in fin. Rot. decis.* 537. *num.* 8. *part.* 4. *tom.* 3. *rec.*

Inducta neque censetur in Episcopo obligatio deputandi Vicarium Generalem, eo quia olim illos deputare consueuerit, nam omisso quod duæ primæ deputationes loquuntur de Vicario foraneo, prout etiam cōprehenditur ex eo quod de anno 1378. Episcopus Tirasonen. alteri Iudici commisit causam appellationis a decreto Officialis Calataiubij, nec non vigore appellationis alteram causam ad se ipsum auocauit, hoc enim Episcopo non fuisset permissum, si decretum a Vicario Generali emanasset a quo ad Episcopum appellare prohibetur, *cap.* 2. *de consuet. in* 6. *Sbrol. de offic. Vic. quæst.* 23. *num.* 2. *& seq. Grat. cap.* 655. *num.* 58. *Caual. decis.* 418. *nu.* 4. Aliæ verò subsequentes deputa-

ta-

tationes quicquid sit, an re vera sint de Vicarijs Generalibus, vel ad solam causarum vniuersitatem, nullum ius Calataiubieñ. tribuere potuerunt, cum in actibus facultatiuis cadere nequeat præscriptio, quæ liberam Episcopi facultatem restringat, *l. 2. §. deinde Marcellus, & l. si eo fundo, ff. de acq. pluu. arcen. glos. in l. qui luminibus, ff de seruit. Vrban. Præd. Dec. cons. 8. nu. 4. Rot. decis. 778. num. 5 par. 1. diu. decis. 556. nu 4. par. 2. Recentiorum, & coram Achille in hac causa, decis 306. part. 1.* adeo vt nec manutenibilis possessio admittatur, præsertim ad fauorē subditi contra Dominum, non obstante quouis temporis lapsu, etiam immemorabilis, *in cap. cum Ecclesia Sutrina, vbi Ripa num. 43. & seqq. de caus. poss. & propr. Bald. in l. 1. num 10. C. de seruit. & aq.* vbi quod nulla præscriptio inducta præsumitur aduersus eū qui per se vel suos antecessores per mille quoque annos ad alterius molendinum ire consueuit, *Surd. post. alios cons. 127. num. 82. in fin.*

Nec aduersatur, quod in actibus quoque facultatiuis cadat præscriptio, dummodo prohibitio, seu contradictio concurrat cum subsequta acquiescentia, *Castr. in l. qui luminibus num. 2. vers. sed tamen, ff. de seruit. Vrb. Præd. Seraph. decis. 1086. num. 1. Rota decis. 530. num. 2. & 3. par. 2. recent.*

Nam oppositiones, & contradictiones relatæ in sumario Calataiubiensium ex numero 23. ad 25. emanarunt post litis introductionem, ac mandati Rotalis relaxationem, ad cuius exequtioni resistendum ijdem recursum habuerunt ad Tribunal Iustitiæ Aragonum, ab eoque firmam executionis impeditiuam obtinuere, præ cuius timore Episcopi acquiescere coacti fuere sumario Capituli numer. 37. ideoque ex tali acquiescentia nulla præscriptio aduersus Ecclesiam, & successores induci potuit, quibus Prelatorum negligentia præiudicare nō valet ex deductis.

Denique non obest quod Episcopus ex quadam æquitate eligere teneatur locum qui minus incomodum Diocesanis inferat, proindeque cum ab Archidiaconatu Calataiubij ad Ciuitatem Tirasonæ detur considerabilis distantia, & præter itineris longitudinem transire quoque oporteat per loca nimis difficilia, aspera, & montuosa, quinimò per aliarum Diocesum castra saltē cogi debeat Episcopus ad constituendum ibi Vicariū Generalem. *Nauarr. cons. 2. num. 2. ad med. post Franc. in cap. cum Episcopus de offi. ord. in 6. Rota diu. decis. 297. n. 1. & 8. par. 2.*

Nam quidquid sit, an hæc causa sit sufficiens ad obligandum Episcopum vt deputet Vicarium Generalem, cōtrarium conuincitur ex testibus examinatis pro parte Capituli asserentibus a territorio Calataiubij ad Ciuitatem Tirasoneñ. dari commodum iter ac continuatum per loca Diocesis absque necessitate transeundi per alias Dioceses, hocque commodè intra vnam dietam posse expleri, etiam si in lectica permeare oporteat, vnde censuerunt Domini satis consultum fore Calataiubieñ. ex Vicarij foranei deputatione.

Cætera obiecta pro Calataiubiensium parte excitata ad impugnandam sententiæ iustitiā sublata remanēt ex prædictis, alijsque rationibus per Dominos exaduerso scribentes deductis.

De validitate verò Domini non dubitarunt, quamvis citatio exequta non fuerit contra singulos interesse habentes, sed dumtaxat in Clerum, ac nonnullos Ciues Calataiubij, exinde etenim sententia nullitatis vitio obnoxia minime remansit, nam quotiescumque plures habent interesse in causa, vnus autem primariò, & principaliter, alter verò secundarium, & consequtiuum, prout nunc considerantur aliæ Vniuersitates de Calata-

iu-

iubio,cum dubitari nequeat, quin residentia Vicarij Generalis in Calataiubij loco principaliter influeret in splendorem, ac honorificentiam ipsiusmet loci Cleri,ac Ciuium, secundariò verò respiceret aliorum subditorum quandam commoditatem cum ipsi tali casu non releuentur ab obligatione adeundi Iudicem extra proprias domos,tunc pro sententiæ validitate suffragatur sola citatio in illum ad quem principaliter defensio spectare dicitur,*glos.communiter recepta in l.de vnoquoque in verb. quos causa, ff.de re iudic.Alex.cons.86.num.3.lib.2. Vant.de nullitate ex defect.citat.nu.19. Couar.pract.quæst.cap.13. num.6.& 7. Tiraq.de nobilit.cap.37. num.5. Pereg. de fideicom.art.53.n.53.Rot. decis.242. num.7.& 8.par.9.rec.in Romana Cambij inter eius impress. decis.436. num.5. confirmat* 8. *Martij* 1652. §. *nec resistunt coram R.Cerro, Add.ad decis.*118. *lit. D.p.1.rec.Mastrill. decis.114.num. 27.Rota decis.241. in princ. par. 2. rec.* in terminis sententiæ condemnantis personam non vocatam, quæ licet non citatos afficere nequeat,sustinetur tamen respectu vocatorum, *Mellin.decis.345.in princip.*

Altera nullitas desumpta ex non integra asportatione actorum quæ in prima instantia coram R.P.D.meo Taja fuerãt gesta tollitur,ex eo quod hoc non processit ex culpa Agentiũ pro Episcopo, siue Capitulo Tirasoneñ.sed ex mera incuria, & inaduertentia Notarij cui integra asportatio fuerat expressè commissa, prout ipsemet fatetur, error enim Notarij parti obesse non debet quæ iustam ac probabilem credulitatem habere potuit de integra actorum asportatione, *l si Librarius*, *& ibi Dec. ff. de reg. iur.glos.fin.in l.vlt. C. de fideiuss. Achill. decis.1.num.1. de fideiuss. Rot. in puncto decis.119.sub.n.2.& 3.par.3.rec.Coccin. decis.373.n.10.*

Prout corruere quoq; videtur nullitas quæ deducitur ex defectu iurisdictionis eo sub fundamento quod noua causæ commissio in Rota non cõprehendat omnes litis consortes in prima nominatos,& contra quos olim fuit directa petitio, ac introducta lis, nam respondetur, quod ea non erat necessaria ad tribuendum Tribunali jurisdictionem, cum satis esset prima commissio ad litis prosequtionem,cuius virtus non censetur expirasse per mortem,siue amotionem Auditoris, cui causa reperiebatur commissa, cũ successor absque alia facultate causas sui prædecessoris reassumere valeat, Rotæ etenim Auditorium dicitur respectu omnium vnum Tribunal,ac eadem omnium iurisdictio, vt alias respondit *Rota in Sarsinateñ.feudi 3.Iulij* 1641.*coram bon.mem. Pirouano, Burat. decis.518.num.2.Greg.decis.369. nu.* 3. cum alijs allegatis in Romana fideicõmissi de *Incoronatis* 22.*Maij* 1643. *coram bon.mem.Dunosetto* Ideoque noua causæ commissio ex abundanti, quamuis nulliter impetrata fuisset nõ operaretur sententiæ nullitatẽ,*Apost. ad Rom.cons.497.n.6.& 7.in vers.Non vitiat,Rot. decis.36.nu.56.& seqq. part. 5.rec.*Quæ tamen nullitas cessat attẽta illa clausula in commissione adiecta,videlicet cum omnibus facultatibus in alijs commissionibus in actis præsentatis contentis.

Et ita vtraque parte acerrimè informante fuit resolutum in secunda causæ propositione.